



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Quæ caussæ tam eximiæ de Ioanne opinionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

*Quàm le-
ues in Ioan-
ne reside-
bant culpa.*

*Qua causa
tam eximia
de Ioanne
opinionis.*

lem, quâ olim Adamum ornauit, cum primam illi gratiam, originalemque (vt vocant) iustitiam infudit; eo insuper præsidio cælestibusque donis adiunctis, quibus felicem illum innocentiam statum tueretur! Qualis opinio nasci de vno aliquo non solet, qui solâ innocentiam bonitateque communi pollet. Commisit quidem Ioannes, dum viueret, eas culpas, quas, dum viuunt, sanctissimi quique contrahere consueuerunt corporis huius sarcinâ onerati, pronique in malum. Et sanè qui dissentiret, censeretve contrarium, in errore versaretur, cum & Ioannes se accusaret, fatereturque peccare in multis; sed leues adedè erant quæ in eo residebant culpæ, vt oculos nostros effugerent, nec deprehendi omnino possent, nisi cælestis illius luminis fulgore, quo mens eius affatim erat illustrata. Illa quippe accurata diligentia, quâ ad res omnes aggrediebatur; perpetua illa vigilantia, quâ præsentissimum animum cuiicumque à se susceptæ actiunculæ afferebat, absolutum eum adedè perfectumque oculis nostris reddebant, vt qui minimum in moribus eius notarit peccatum, aut leuem in eius actionibus imperfectionem deprehenderit, reperiendus adhuc sit nemo. Quæ res adedè magna est, vt propria magis sit beatis mentibus ad cælestem portum appulsis, quàm miseris hisce

hisce exulibus, qui in vitæ fluctibus iactantur; debita magis felicitati Angelicæ, quàm mortali imbecillitati.

Ioannes, vti iam diximus, annos ferè quinque in Religioso nostro Ordine vixit, in quo, quæ Dei gratia est, floret, vt videmus, primus ille disciplinæ incorruptæ vigor, viuitque recens quædam ac viridis obseruatio legum. Philosophiæ studijs incubuit in Collegio Romano, in quo & iuuentus frequentissima, & tot Superiorum attentissimi oculi, qui perpetuò excubant, num ab omnibus leges mandataque obseruentur. Maximâ autem sollicitudine minimi etiam nãui, & leuissima quæque errata adnotantur, in iuuenibus præcipuè, quibus acriùs inuigilatur, vt constantes assuescant. Nemo tamen aut Superior, aut subditus, aut Sacerdos, aut Coadiutor, aut Magister, aut Scholarum alumnus, aut cubiculi contubernalis, aut studiorum collega, aut alius quispiam eorum omnium qui in Collegio degebant, eumque & videbant, & familiariter vtebantur, in eo vquam potuere deprehendere vel minimam imperfectionem, aut culpam quantumuis leuem, aut etiam impetum aliquem affectus alicuius præcurrentis (motus primos appellant) vel audire aliquod eius verbum superuacaneum, aut minùs præcogitatum.